

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

bent, & pessundant, quod præcones ædificarunt, & plantarunt, ideo expellendi sunt, si Christus virtutem suã, iis exerere debeat. quicumque enim honorificaverit me, glorificabo eum, 1. Sam. 2, 50.

## De Secundo.

**T**Ransibimus nunc ad *alteram partem*, *Χρῆσις ὁρίωσις*, sive *notitiam Christi* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam promptus auxiliator*. Vix enim Jairus sermonem suum finierat, & surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus.

Si servator cum hoc principe Synagogæ exostulare voluisset, sat causæ habuisset, tunc dubio enim inter illos fuit, qui Christo ratione novæ doctrinæ infensi fuerunt. Idcoque & jam auxilium suum ipsi denegare potuisset. Sed eo neglecto Christus eum secutus est, quo ipsi succurreret: lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer. 32, 41.

Hactenus hic *synagoga princeps Christum parum curat*: jam vero ubi cruce affligitur, à Christo opem petit, id non denegat ei Christus, licet hactenus pœnitentiam suam procrastinasset.

Sic si & tu *pœnitentiam differens*, diaboli laqueis irretitus es, in quibus te ad iniquitatem duxit, quo minus ad pœnitentiam pervenire poteris, *vi per rumpe*, & revertere ad Christum, qui & illos non vult rejicere, qui circa horam undecimam in vineam veniunt, Matth. 20, v. 6. Sat cito si sat bene: sed cavendum, ne tempus pœnitentiæ perdamus; non enim est opus virium humanarum, sed Dei, ideo Deo ad pœnitentiam nos vocanti non resistere debemus, Sir. 18, 22.

*Princeps Synagoga adhuc infirmus in fide*

*erat*, licet enim crederet, Christum filiam suam in vitam revocare posse: tamen præsentiam Christi, ejusque manus impositionem requisivit, non tamen propterea à Christo rejectus est.

Sic noli desperare, mi Christiane! *quavis fides tua tempore necessitatis imbecillior sit*. Habes enim ejusmodi Servatorem qui calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet, Esa. 42, v. 3. Ideo David ait: si benedictus ceciderit, non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam. Psal. 27, v. 24. Modo assidue oremus: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17, 5. Marc. 9, v. 24.

*Princeps Synagoga, in eam angustiam devenerat, in qua nemo ei optulari poterat*, filia enim ejus defuncta erat, verum apud Christum auxilium invenit.

Nos quoque ad eum fugiamus, quando in magnas angustias incidimus, & ignoramus quid agere debeamus, sicut Josaphat, 2. Chron. 10, v. 12. est enim mutatio dexteræ ejus, Psal. 77, 11. & si nusquam auxilium apparet, tamen prope timentes salus ejus, Psal. 85, v. 10.

Auxilium ejus est *omnipotentissimum*. Homines sæpe libenter in malis succurrerent: sed non possunt, ut constat ex 2. Reg. 6, 27. Sed Dei manus abbreviata non est, ut non possit redimere, Esa. 50, v. 2. Non enim impossibile apud eum ullum verbum, Luc. 1, 37.

Auxilium ejus est *presentissimum*. Cives Hierosolymitani in Ægyptum ablegarunt opem adversus Babylonios petunt: sed melius multo fecissent, si Dei opem implorassent, qui non modo valida dextera ex Ægypto eos liberaverat, sed & gentes ante ipsos expulerat, & in Palæstinam introduxerat,

Prope enim est Dominus, omnibus invocantibus eum, Pſal. 145. v. 18.

Auxilium ejus est *validissimum*. Simſon maxilla aſini interfecit mille viros, & apprehendit ambas portæ fores, cum poſtibus ſuis & veſtibus, impoſitasque humeris ſuis portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron, Jud. 15. v. 15. c. 16. v. 3. Hoc factum Heroicum fuit. Sed quando Deus noſter cum auxilio ſuo venit, ecce, gentes quaſi ſtillicula ſitula, & quaſi pulviſculus ſtatera reputata ſunt, Eſa. 40. v. 15. mutatio dextrae ejus, &c. Pſal. 77. 11. facit potentiam in brachio ſuo, Luc. 1. v. 51. uno verbo omnes hoſtes ſuos proſſigare poteſt, Johann. 18. verſ. 6.

Auxilium ejus est *miraculoſiſſimum*. Quando in tantas calamitates incidimus, ut neſciamus cum Joſaphat quid agere debeamus, 2. Chron. 20. verſ. 12. aut ſcindimus veſtimenta præægritudine ut Hiſkias, Eſa. 37. v. 1. Si modo vera animi devotione Deum invocamus, cum miraculoſo ſuo auxilio accelerat, ut homines annuncient opus ejus, Pſal. 64. 10.

Auxilium ejus est *ſolatio pleniffimum*. Hoc enim in more habet, ut tum demum ſuccurrat, quando hominum auxilium deſperatum eſt, uti videmus in tribus viris in ardente fornace, Dan. 3. 19. In civibus Bethulienſibus, Jud. 14. 9. ſeqq. in hæmorrhouſa in Evangelio aliisque pluribus. Hoc ideo facit, ut auxilium ejus eo gratius ſit, juxta illud: *Deſiderata diu dulcius obtinentur, cito autem dat a vileſcunt*, ut Auguſtinus ait Ne igitur alios opitulatores quæramus: ſed Deo unice confidamus, Magnus enim eſt, & magnum nomen ejus, in fortitudine, Jer. 10. 6.

*II. Tanquam blandus Conſolator*, Hoc pro-

bavit in cæſto parente, quem amice alloquitur: Ne metuas; & domum ingreſſus, ubi omnia ad ſunꝰ inſtructa videt, ait: Quid ploratis? puella non mortua eſt: ſed dormit. Idem probavit in hæmorrhouſa, quæ plena timoris erat, quod Chriſtum tetigerat: ſed humaniter iliam affatur, inquiens: Confide filia! fides tua ſavam te fecit.

Hæc verba ſunt ſolatio pleniffima, quæ non immerito cum Petro verba vitæ vocamus, Joh. 6. v. 68.

Obſervandum hoc

1. *Contra crucis longitudinem*. Muliercula hæc ſanguinis fluxum annos duodecim paſſa fuerat; ſic adhuc hodie inveniuntur, qui cum Davide conqueruntur, uſque quo, Pſal. 6. 1. Verum ut Chriſtus eam filiam ſuam appellat: ita & ipſi ſe filios Dei eſſe meminert. Quos enim diligit Dominus caſtigat, Heb. 12. v. 6. 7.

2. *Contra cordis anxietudinem*. Princeps Synagogæ triſti nuncio percellabatur: obviabant enim ei dicentes: Filia tua mortua eſt, quid ultra vexas Magiſtrum? Sed Chriſtus ſolatur ipſum: Noli timere; tantummodo crede.

O quam ſæpe ſit, ut & nos per triſte nunciū conſternemur, ut omnia deplorata eſſe cenſeamus. Verum tum recordemur, manū Dei non abbreviatam eſſe, Eſa. 59. v. 2. Eſa. 41. v. 10. 11.

3. *Contra mortis amaritudinem*, quam Chriſtus ſomno comparat, inquiens: Puella non mortua eſt: ſed dormit.

Quando homo veſperi cubitum it, ſpem habet, quod mane rurfus evigilaturus & reſurrecturus ſit. Sed ſpes decollat interdum. Multi enim ſoſpites & ſani dormitum ſe contulerunt, qui mane mortui reperti ſunt, ut Siſſera, Jud. 4. v. 21. Iſboſeth, 1. Sam. 4. v. 6.

v 6. Holofernes, aliique plures. Sed qui in morte obdormit, de resurrectione certissimus esse potest. Venit enim hora, in qua omnes &c. Joh. 5. v. 28. 29.

Quemadmodum vero non quilibet somnus placidus & jucundus est, imprimis quando cor plenum curarum, & cibo potuque gravatum est: sic mors impiorum non placidus somnus, sed potius initium & introitus ad mortem æternam. Gravant enim corda crapula & ebrietate, & carnis hujus vitæ, Luc. 21. v. 34. terrenis inquietantur, Phil. 3, 19, & ex hac vita secum auferunt rodentem vermem conscientia, Esa. 66. v. ult. Apoc. 14. v. 11.

Ideo quilibet operam navare debet, ut si aliquando placide obdormire velit, & quiescere, ut mundo & omnibus terrenis concupiscentiis valedicat, & unice quærat, quæ sursum sunt, ubi Christus est, Col. 3, 1. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

III. *Tanquam mortuorum resuscitator.* Hoc opere ipso demonstrat, dum tenens manum puellæ ait illi: Talitha Kumi, quod est: puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Ne vero quis existimaret præstigiis esse, jussit illi dare ad manducandum: quod clarum indicium est, animam cum corpore redunitam esse.

Hic nobis præludium & idea generalis resurrectionis, quæ die novissimo futura est, ob oculos ponitur.

Sicut enim servator irrisores hos expellit: sic & aliquando illos illusores expulsurus est, qui dicunt: Ubi est promissio, aut adventus ejus? 2. Pet. 3. v. 4. Foris enim sunt canes & venefici & impudici & homicidæ &c. Apoc. 22. v. 15.

Deinde, sicut hic Christus puellam manu prehendit! Ita & in die ultimo manum suam extendet, tumulos nostros aperiet, & educet nos è sepulchris nostris, Ezech. 37, 12.

Tertio, Quemadmodum hic Christus filiam parentibus restituit, ita & die novissimo liberos parentibus, & parentes liberis, ut & conjuges conjugibus restituet, qui propterea dies restitutionis omnium appellatur, Act. 3, 21.

Interea fidem nostram fulciamus verbo promissionis ejus, quia enim dixit: Vivent mortui tui. Esa. 26. v. 19. certo certius id implebit. Non enim homo est, qui mentiat, Num. 23. v. 20. Neque virtus aut facultas ei deest, vocat enim ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. v. 17. *Nemo tam facile excitat dormientem è somno, quam Christus mortuos excitabit è sepulchro,* ut August. ait, hac fiducia freti dicere possumus: Scio, quod redemptor meus vivit, Job. 19. v. 17.

Hoc fulcior solamine,  
Molesta in ægritudine,  
Scio die quod ultimo  
Cum gaudio  
Sim fuscitandus ex humo.  
Rerum parentis dextera  
Mortis retundet spicula.  
Servabit ossa corporis  
Ut singulis  
Convestiar membranulis.  
Bonum Deum cum jubilo  
Videbo, nullus ambigo.  
In sempiterna gloria,  
Quæ mihi data,  
Sit laus ei per secula.

Das ist mein Trost zu aller Zeit/  
In allem Creutz und Traurigkeit/  
Ich weiß daß ich am Jüngsten Tag  
Ohn alle Klag  
Werd auferstehn aus meinem Grab.  
Mein lieber frommr getreuer Gott!  
All mein Gebein bewahren thut/  
Da wird nicht eins vom Leibe mein/  
Sey groß oder klein

Umkommen noch verlohren seyn.  
Mein lieben Gott von Angesicht:  
Werd ich anschau dran zweiffel ich  
nicht/  
In ewiger Freud und Seligkeit/  
Die mir bereit/  
Ihm sey Lob Preis in Ewigkeit/  
Amen.

\* \* \*

## Dominica XXV. post Trinitatis.

*Evangelium, Matth. 24. v. 15. 28.*

### EXORDIUM.

**O** Stendit olim Deus Ezechieli in visione *varias abominaciones domus Israel*. Adduxit enim cum Hierosolymam in templum, ibi vidit ab Aquilone portæ altaris idolum *zeli patri-familias*, in ipso introitu. Ulterius ingressus, vidit omnem similitudinem *reptilium & animalium abominationem*, & universa idola domus Israel, coram quibus steterunt septuaginta viri de senioribus domus Israel, *thuribulum* habentes in manu sua, eoque sacrificantes. Vidit quoque mulieres sedentes, *plangentes Adonidem*, Ezech. 8. v. 3. seqq.

Hæc mira visio est, in qua nobis consideranda proponitur:

1. *Idea profanationis templi externi*. Per idolum enim, quod in zelum patris-familias, Dei nempe trinunius, qui habitaculum in templo, 1. Reg. 8. 30. & quasi ignem & caminum habuit, Esa. 31. 9. erectum fuerat, Biblia Weimariensia intelligunt, *idolum Baal*, cui Manasses aras erexerat, 2. Reg. 21. 3. c. 23, 32. id abominatio erat patri-familias, qui

juxta se Deos alienos ferre nequit, Exod. 20. v. 3. Ideo inquit Elias? Usque quo claudicatis in duas partes? 1. Reg. 18. 21.

Quod vero Propheta, cum ulterius ingressus est, *omnem similitudinem reptilium & animalium* vidit, eo indicatum est, quod non uno modo idololatriam commiserint; verum sicut gentiles varia idola habuerunt, quæ divino cultu affecerunt; Ægyptii Apim, in forma vituli, Exod. 32. v. 4. Qui erant de Sepharvaim, Adramelech & Anamolech, in iii agine pavonis & muli, 2. Reg. 17. v. 31. Viri de Emath, Afima in simulacro hirci, ibid. v. 30. Moabitæ Baal-Peor, Num. 23. Palæstini Dagon in forma feminae marinae, 1. Sam. 5. v. 2. & id genus alia: Ita in omnibus fere gentiles æmulati sunt, & hoc modo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium, Rom. 1. v. 23.

Imprimis mentio hic fit *mulierum plangentium Adonidem*, qui Veneris rivalis fuit, in cujus honorem gentiles anniverfarie festa